



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Specvlvm Privilegiorum Regularivm In Commvni

Pedro <de los Angeles>

Coloniæ Agrippinæ, 1681

Disputatio VI. De revocatione Privilegiorum, quæ in Tridentino continentur, & de clausulis, quibus in eis utitur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61715](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61715)

4. num. 44. Layman. Cap. 3. de leg. num. 6. & alij sentientes, hoc dubium non tam ad jus, quam ad factum pertinere.

339. 22. Ex dictis in tota hac disputatione facile colligitur, quid dicendum sit de legibus revocantibus privilegia, quæ si directè, & principaliter disponant aliquid faciendum, vel non faciendum, ut fit communiter, & ad ejus observantiam, privilegia revocantur, omnia quæ assignata manent de legibus, intelligen-

da sunt de ipsis privilegijs, quia accessorium sequitur principale. Si verò detur casus, in quo directè, & principaliter ordinetur lex ad revocanda privilegia; in merè gratiosis, erit necessaria publicatio & notitia illius, non tamen acceptatio, unde sine hac manebit extinctum privilegium, & idem est de indulgentijs, quia ista nullo modo pendent, ut revocentur ab acceptatione, sed à voluntate revocantis, ut bene notat Suar. lib. 8. de leg. cap. 40. num. 7.

DISPUTATIO SEXTA.

De Revocationibus privilegiorum, quæ in Tridentino continentur, & de clausulis, quibus in eis utitur.

SECTIO I.

De his, quæ interdiciuntur Religiosis exemptis in Concilio Tridentino cum revocatione privilegiorum.

sacris, sine approbatione Ordinarij, & licentia suorum superiorum. Hic non apponitur revocatio privilegiorum, sed credo nullum inveniri privilegium in contrarium.

340. 1. CUM ex decreto Tridentini, sess. 25, cap. 22. de reg. constet obligari Religiosos ad observantiam eorum, quæ eis in ipso Concilio ordinantur, & præcipiuntur, revocando eorum privilegia in multis casibus, opus est, ut claram eorum notitiam ipsi habeant, ne cœcutes in foveam cadant, potiora ejus ante oculos ponere intendo, notando in quolibet casu revocationem, quam includit, addendo aliquas particulares notas, alias in propria loca remittendo.

341. 2. Primò, sess. 4. in decreto de usu, & editione novorum librorum sic ait: Non liceat fratribus imprimere libros de rebus

3. Secundò, sess. 5. de reform. cap. 1. præcipitur, ut in Conventibus Regularium lectio sacræ Scripturæ habeatur, ubi commodè fieri potest, accipe verba: *In Monasterijs quoque Monachorum ubi commodè fieri potest, etiam lectio sacræ Scripturæ habeatur. Qua in re si Abbates negligentes fuerint, Episcopi locorum, & in hoc, ut Sedis Apostolica delegati, eos ad id opportunè remedijs compellant. In Conventibus verò aliorum Regularium, in quibus studia commodè vigere possunt, sacræ Scripturæ lectio habeatur. Quæ lectio à Capitulis Generalibus, vel Provincialibus assignetur dignioribus Magistris: In hoc neque derogatio, neque privilegium in contrarium invenitur.*

Advertant autem Lectores & Prædicatores, quæ præcipiuntur circa rectam interpretationem sacræ Scripturæ *sess. 4. in decreto de usu sacrorum librorum.*

343. 4. Tertiò, in eadem *sess. cap. 2.* loquendo de prædicatione, sic ait: *Regulares cujuscunque Ordinis, nisi à suis Superioribus de vita, & moribus, & scientia examinati, & approbati fuerint, ac de eorum licentia, etiam in Ecclesiis suorum Ordinum, prædicare non possint. Cum qua licentia personaliter se coram Episcopis præsentare, & ab eis benedictionem petere teneantur, antequam prædicare incipiant. In Ecclesiis verò, quæ suorum Ordinum non sunt, ultra licentiam suorum Superiorum, etiam Episcopi licentiam habere teneantur, sine qua in ipsis Ecclesiis non suorum Ordinum nullo modo prædicare possint.* Et nulla est revocatio privilegiorum, & *sess. 4. cap. 4. de reform.* præcipit, ut nullus sæcularis, sive Regularis, etiam in Ecclesiis suorum Ordinum, contradicente Episcopo prædicare præsumat. Tamen hic nulla invenitur revocatio privilegiorum. Sed de hoc dicemus agendo fortè de privilegiis Prædicatorum Regularium.

344. 5. In eadem *sess. 5. cap. 2. de reform.* sic ait Concilium: *Si verò (quod absit) Prædicator errores aut scandala disseminaverit in populum, etiam si in Monasterio sui, vel alterius Ordinis prædicet: Episcopus ei prædicationem interdicit. Quod si hæreses prædicaverit, contra eum secundum juris dispositionem, aut loci consuetudinem procedat, & si Prædicator ipse generali vel speciali privilegio exemptum se esse prætendat. Quo casu, Episcopus auctoritate Apostolicâ, & tanquam Sedis*

Apostolica Delegatus procedat. Hic, ut vides, privilegia omnia contraria revocantur. Sed de hoc agitur communiter ab authoribus de privilegiis particularibus Regularium disputantibus.

6. *Sess. 14. cap. 1. de reform. ordina.* 345. *tur: Quod nullus Superior Regularium, etiam vigore cujuscunque facultatis Religiosus alterius Ordinis, ad habitum admittat, nisi in Ordine, ad quem admittitur sub obedientia Superiorum, in claustris perpetuò vivat, & sic translatus, etiam si sit Canonicus Regularis, ad beneficia curata incapax existat. Non derogantur privilegia, si fortè aliqua dantur, de quo multum dubito. Imò potius alia jura strictiora sunt de hac materia in Const. Urbani VIII. de Apostatis & ejectis. Insuper ibidem cap. 2. præcipitur: Quod nullus Religiosus vigore cujuscunque facultatis possit ad laxiorem Ordinem transire. Nec detur similiter licentia cuiquam Regulari occultè ferendi habitum suæ Religionis. Sed vide decretum Urbani VIII. de Apostatis, & ejectis, in nostro compendio Ordinis judicialis.*

7. *Sess. 22. in decret.* de observantia, in Celebratione Missarum, præcipitur Episcopis, vel aliis Ordinariis, etiam Regularibus, ut in domibus privatis, atque omninò extra Ecclesiam ad divinum tantum cultum dedicata, v.g. Oratoria (ab eisdem Ordinariis assignanda, & visitanda) non celebrent, & abrogantur quæcunque privilegia in contrarium: sed de hoc agunt multi loquendo de privilegiis particularibus ad celebrandum, & ibidem præcipit Episcopis: *Ne cui vago & ignoto Sacerdoti, nec notoriè, & publicè criminoso permit-*

R

sant

tant celebrare. Quod debent adverte-
tere Religiosi, ne sine titulis suorum Or-
dinum iter agant, & derogat privilegiis.

347. 8. Sess. 23. cap. 10. interdicatur Abba-
tibus, aut aliis quantumvis exemptis :
Intra fines alterius Diocesis, vel subditis
alterius (sed tantum suis Regularibus)
tonsuram, & Ordines minores conferre,
sed hinc loquitur de Abbatibus, qui ex-
ercent ministerium Ordinandi. Nam
ceteri Regulares, nec Ordines minores
possunt conferre suis subditis. Hic re-
vocantur privilegia.

148. 9. Ibidem cap. 12. præcipitur : Quod
nullus ad Subdiaconatum ante 22. ætatis
annum: nec ad Diaconatum ante 23. Nec
quis ad Presbyteratum ante 25. promo-
veatur, etiam si sint Regulares, ubi revo-
catur privilegium Benedicti VIII. con-
cedentis Benedictinis Vallisoleti posse
in ætate 22. annorum ad omnes Ordi-
nes sacros promoveri, ac eisdem mini-
strare, ut in Compendio Benedictinorū
Concess. 4. & ut neque isti, sine diligenti
Episcopi examine ordinentur, non ob-
stante quovis privilegio. Ubi revocatur
privilegium Eugenij IV. pro Benedicti-
nis S. Justinæ Bull. 11. & Sixti IV. Bull.
33. pro Prædicatoribus. An verò post
Tridentinum quodam hoc concessa sint
aliqua privilegia, pro Regularibus dice-
tur suo loco.

149. 10. Ibidem cap. 13. præcipitur, ut ne-
mo etiam Regularis duos sacros Ordi-
nes, intelligitur de Ordinibus majori-
bus, eodem die possit recipere. Et revo-
cantur quæcunque privilegia, & quod
nisi in Ordine recepto sint versa i per u-
num annum, ad altiore gradum non
ascendant, nisi aliud Episcopo videatur
ex rationabili causa. Revocantur privi-

legia, sed de hoc loco dicitur. Et nota,
quod licet sess. 23. cap. 8. omnes pro-
hibeantur ordinari extra tempora, sed
nō derogatur privilegiis in contrarium.

11. Ibidem cap. 15. præcipitur, quod
nullus, etiam Regularis audiat confes-
siones sæcularium, etiam Sacerdotum,
nisi sit approbatus ab Episcopo per exa-
men, si ei videbitur, vel aliàs idoneus
judicetur. Excipit habentes Parochiale
beneficium. Revocantur privilegia, &
consuetudines in contrarium. Sed nota,
quod de confessionibus Regularium,
inter se, nihil disponit Concilium hoc
loco.

12. Postea verò sess. 25. quæ est ul-
tima Concilii, tam in decretis de Re-
gularibus, quàm de reformatione mul-
ta statuit sancta Synodus pro Regulari-
bus privilegia quæcunque cassando.

13. Primò, Cap. 2. de Regular. statuit,
quod Religiosi particulares non possi-
deant bona immobilia, nec mobilia, ut
propria.

Secundò, Cap. 3. præcipit, ut in quo-
libet Monasterio non possit recipi ma-
ior numerus Religiosorum, quàm qui
possunt comòdè sustentari, vel ex red-
ditibus Conventus, vel ex consuetis e-
leemofynis, & concedit facultatem o-
mnibus Religionibus (Franciscanâ ex-
ceptâ) ut bona immobilia habere pos-
sint. Insuper, ut non fundentur de novo
Monasteria sine Episcopi licentia, peti-
ta, & obtenta. Ubi nota, quod hinc non
comprehenduntur translationes de uno
Conventu in alium, intra eandem civi-
tatem, benè tamen, si translatio fiat de
una civitate in aliam. Et licet aliqui af-
firmant, quod etiam in translatione in-
tra eandem civitatem, debeat servari di-
stan-

stantis Cannarum à Conventibus aliarum Religionum, juxta Bullam Clem. VIII. sed oppositum tenent multi apud Dian. part. 3. tract. 2. de dub. Regular. resol. 136. & tenet Lezana, verb. Monasterium, & alii multi, quos refert & sequitur Pasqualigus in *Constit. ad controvers. inter Episc. & Reg. ad Bullam Clem. VIII. de Conventuum nova fundatione, quest. 1. num. 404.*

352. 14. Nec sub dicto decreto, seu Bullis comprehenduntur hospitia, nisi aliàs sint talia, quòd nocere possint alicui Conventui alterius Religionis, ex diminutione elemosynarum. Constat ex *Reg. juris*, quòd appellatione Monasterii seu domus, non venit hospitium; unde Bald. l. ea que, in fine, C. quomodo, & quando jud. ait: Quòd si aliquod statutum puniret offendentem in domo, nò comprehenderet offendentem in hospitio, sequitur Alciatus in l. subsignatum, n. 4. ff. de verb. sign. Alex. cons. 213. n. 5. volum. 2.

353. Neque obstat, quòd Monasterium dicitur Monachorum statio, secundum Panormitanum in *Cap. Monasteria, de vita, & honestate Clericorum*, quia debet intelligi de firma habitatione Monachorum, non autem de illa, que fit quasi per transitum, ut in hospitio, licet fiat cum detentione, ut tenet Ricc. in *praxi Neapol. Eccles. decis. 652.* Vide Suar. *disp. 23. de censur. sect. 5. num. 35.* Navarr. *Cap. 27. manual. num. 144.* Lezana verb. Monasterium, num. 6. Tamb. de jur. Abb. Tom. 3. *disp. 5. quest. 1. num. 10.* Bordon. in *cons. Reg. resolut. 41. qu. 2.* & alii multi, de quo fufius agunt Doctores loquentes de exempt Regular.

15. Tertio, eadem sess. cap. 5. de Regular. interdicat Coneilium egressum Monialium è claufura, & ingressum aliarum personarum ad eam. De quo suo loco disputatur.

Quarto, *ibidem cap. 6.* prescribit modum eligendi superiores Abbatissas, & alios officiales per vota secreta, itaut singulorum eligentium nomina nunquam publicentur, nec suppleantur vota absentium, sed de hoc alibi.

16. Denique in eodem cap. 6. precipitur, ne in posterum liceat Provincialibus, aut Abbatibus, Prioribus, aut aliis quibuscunque titularibus, ad effectum electionis faciendæ constituere voces, suffragia absentium supplementia, & concludit: Si verò contra hujus decreti dispositionem aliquis electus fuerit, electio irrita sit, & is qui ad hunc effectum se in Provinciale, Abbatem, aut Priorem creati permiserit, deinceps ad omnia officia in Religione obtinenda inhabilis existat. Ubi nota, quòd verè absens, & legitime impeditus, potest mittere suo loco procuratorem ad effectum eligendi, juxta *Cap. Quapropter, de elect. & Cap. 46. de exempt.* neque hoc verat jus, sed intendit radicitus amovere depravatam quandam antiquam consuetudinem, quam habebant aliqui Superiores, & Præsidentes in Capitulis ad effectum faciendi electiones ad sui benplacitum, absentium vota supplendo, quòd certè in fraudem electionum, & in maximum detrimentum Religionis redundabat. Non tamen excluduntur ii, qui Titulares perpetuò sunt, habentes varios titulos suarum Ecclesiarum, à quarum possessione vi excluduntur, ut sunt Piores Angliæ,

Ungariæ, Jerosolymæ. Sic declaravit sacra Congregatio apud Sotell. ubi supra, & Barbolam. Secundò nota, quòd Concilium per hoc decretum nõ intendit tollere alios modos Canonice electionis, v.g. per acclamationem, vel compromissum, nec modum observatum à qualibet Religione confirmatum à Pontifice, sed præscribere formam servandam per scrutinium, ita Layman in *quæst. Canon. cap. ult. q. 231*. Mirand. Tom. 2. *manual. quæst. 23. art. 4.* & alii

356. 17. Quintò, in *cap. 7*. Constituitur modus servandus in electionibus Abbatissarum, seu Priorissarum, & quòd debent habere 40 annos ætatis, & 8. professionis, licet in casu necessitatis possint eligi 30. annorum. Item præcipitur, quòd Præsidentis pro electione claustra Monialium non ingrediatur; sed de hoc alibi.

Sexto, in *cap. 10*. præcipitur, quòd sacra Eucharistia in Conventu Monialium neque in Choro, neque in Sacristia, sive alio loco intra septa Monasterii servetur, sed tantum in publica Ecclesia, non obstante quovis privilegio.

357. 18. Septimò, in *cap. 11*. præcipit, quòd in Monasteriis habentibus curam animarum, præter eas personas, quæ sunt de eorum familia Regulares, & Sæculares, istam curam exercentes, subsint immediate, in pertinentibus ad istam curam, & Sacramentorum administrationem, jurisdictioni & visitationi Episcopi, in cujus Diæcesi sunt sita.

358. 19. Octavò, *ibidem cap. 12*. præcipitur, quòd censura, & interdicta Pape, & Ordinatorum, mandante Epi-

scopo, à Regularibus in eorum Ecclesiis, & publicentur, & servantur.

20. Nonò, *Cap. 13*. quòd teneantur Regulares exire ad publicas processiones consuetas, & ad eas, quæ fiunt pro bono pacis, vel pro victoria contra infideles, iis tantum exceptis, qui strictiori in clausura perpetuò vivunt, & exceptis etiam illis, qui à civitate per dimidium milliare, hoc est, sextam partem leucæ distant, ut declaravit sacra Congregatio Cardinalium tempore *Clement. VIII* teste Hieronymo Rodrig. in *Comp. & Pius V. in Bulla 7*. eximit Collegia Religiosorum non cantantium in Choro, nec ad mortuos accedentium, sed studiis vacantium.

21. Decimò, *ibidem Cap. 15*. præcipitur, quòd in quacunque Religione, tam virorum, quam mulierum, professio non fiat ante decimum sextum annum expletum; nec, qui in minori tempore, quam per annum post susceptionem habitus in probatione steterit, ad professionem admittatur, secus professio erit nulla, & nullã inducat obligationem.

22. Undecimò, *ibidem Cap. 16*. quòd nulla renuntiatio fiat sine licentia Episcopi, vel ejus Vicarii, intra duos menses proximos ante professionem, nec intelligatur effectum sortiri, nisi sequentia professione. Sed nota, quòd loquitur de renuntiationibus, non verò de testamentis; nam ista cum sint revocabilia, ex hac parte quolibet tempore, & sine tali licentia possunt fieri, si cætera requisita adsint. Quia testamentum non opponitur fini Concilii, qui est libertas Novitii, ut sine obstaculis possit religionem deserere, si id magis sibi conveniens videatur.

Sed

362. 23. Sed primò nota, quòd Concilium solum loquitur de Novitiis, post susceptionem habitus. Nam tunc solum comprehenduntur nomine Regularium, de quibus loquitur Concilium. Unde ante susceptionem habitus, quælibet renuntiationes, seu donationes sunt validæ sine dictis requisitis, etiam si fiant intuitu ingressus Religionis. Ita tenet Passarell. in *privileg. Minorum. c.* 37. Sanch. *lib. 7. in Decalogum, cap. 5. num. 4.* noster Lezan. *Tom. 1. ca. 24. nu. 38.* Et sic fuit declaratum à sacra Congregatione, ut ipsi referunt; idcirco opposita sententia Molin. *Tom. 1. disp. 139. & 149.* & *Tom. 3. disp. 604. num. 3.* & aliorum, nullam habet vim hodie. Et in eodem *Cap.* præcipitur, quòd ante professionem nihil recipiatur, excepto victu & vestitu, ne ex hac occasione Novitiis discedere nequeat, & hoc præcipitur sub pœna anathematis dantibus & recipientibus.

363. 24. Duodecimò, *ibidem* decernit, quòd finito tempore novitiatus Superiores novitios, quos habiles inveniunt, ad professionem admittant, aut è Monasterio eos ejeciant, quòd procedit in illis Novitiis, quos Superiores lapsò tempore novitiatus habiles invenerint, non in his omnibus, quos inhabiles invenerint, ut sunt illi, qui non bene adhuc didicerunt, quia quoad istos inhabiles Pius V. declaravit: *Superiores Regulares posse prolongare illorum professionem per alios sex menses*, quando adest spes probabilis, quòd efficiantur habiles. Ita Passarello Generali Minorum consulenti fuit responsum à sacra Congregatione Tridentini, die 18. Novembris 1569. ut testatur ipse in principio

suorum privilegiorum, ad *Canones Concilij, Canon. 52.* Sorbus in *Compend. verb. Novitij, §. 6.* Si autem inhabilitas ex infirmitate procedat, poterit etiam prorogari tempus, quamdiu durat spes recuperandæ sanitatis: & universaliter tempus ad emittendam professionem posse arbitrio Superioris prorogari, censuit sacra Congregatio Tridentini die 31. Martii 1597. teste Peirino *Tom. 1. privileg. const. 2. Sixt. IV. §. 111. num. 81. & 82.* & noster Lozana *Tom. 1. cap. 24. nu. 41.* & Suar. *Tom. 3. de Religione, lib. 5. cap. 19. num. 8.* explicans verba Concilii, ait, debere intelligi, nisi aliquid obstat; nam si aliqua justa & rationabilis causa occurrat differendi professionem, ut si in probatione non sufficienter satisfecerit Religiosis, vel aliquid obstarit ad rectam bonorum suorum dispositionem, licitè potest à Præfato professio differri, & ait esse multorum sententiam, Sanch. in *Summ. lib. 5. cap. 4. num. 2.* & *ibidem, num. 21.* addit, quòd hoc decretum Tridentini non loquatur de monialibus Novitiis, sed solum de viris, & sic professio communiter differtur in eis, donec dotem habeant, vel solvant.

25. *Ibidem cap. 17.* statuit, quòd puella, quæ habitum regularem suscipere voluerit, non minor duodecim annis sit, & non ante eum suscipiat. Ubi nota, quòd licet ante hoc tempus non possit admitti ad habitum Religionis per modum inceptionis novitiatus, quia in minori ætate nequeunt experiri rationabiliter difficultates Religiosis (& idem dic de viris ante pubertatem, scilicet ante decimum quartum annum) nihilominus possunt recipere habitum

per modum devotionis, seu educationis, ut experientia constat in multis Religionibus; dummodo puella habeat usum rationis. Verum est, quod si hoc fiat in vitis parentibus, poterunt ipsi compellere, ut puella dimittat habitum, & exeat, quia ante expletam pubertatem ad hoc extenditur potestas parentum, neque ad inceptionem novitiatus malitia supplet aetatem, neque est valida renuntiatio temporis, sive ex parte puellae, sive ex parte Religionis; sic Sanch. lib. 5. cap. 4. num. 22. & num. 24. Addit, quod licet verus novitiatus non possit incipere ante pubertatem, hoc est, ante duodecimum annum expletum in foeminis, & ante decimumquartum in viris; tamen si recipiantur ad habitum modo dicto dum habeant usum rationis, gaudebunt privilegio canonis concessio Novitiis, Cap. Religiosus, de sentent. excommun. & sic puellam percutiens erit excommunicatus; sed hoc mihi difficile videtur, nam solus habitus non facit Monachum, unde oppositum, dum jus in contrarium non ostenditur, iudico verum.

365. 26. *Ibidem* Cap. 17. statuitur, quod nulla Monialis professionem emittat antequam exploraverit Episcopus, vel eo absente, vel impedito, ejus Vicarius, ipsius voluntatem, an coacta, vel subducta sit, & an sciat quid agat; & ne professionis tempus Episcopus ignoret, teneatur Prior illa cum ante mensem certiore facere, alias quandiu Episcopo videbitur, ab officio suspensa sit. Sed hic Concilium non annullat professionem ex hoc defectu.

366. 17. *Ibidem* Cap. 18. decernitur, quod qui cogunt mulieres ad ingrediendum

Monasterium, vel ad suscipiendum habitum, vel emittendam professionem, & qui sanctarum Virginum, vel aliarum mulierum voluntatem, vel accipiendi, vel voti emittendi sine justa causa impediunt, manent ipso facto excommunicati,

28. *Ibidem* Cap. 19. de Regularibus statuit, quod quicumque Regularis pretendit se per vim & metum ingressum Religionem, aut ante aetatem professum fuisse, aut quid simile, non auferatur, nisi intra quinquennium tantum a die professionis, & tunc non aliter, nisi causas, quas praetenderit, deduxerit coram suo Superiore, & Ordinario; quod si ante sponte habitum dimiserit, nullatenus ad allegandum quamcunque causam admittatur, & tanquam apostata puniatur. Hic nota, quod Urbanus VIII. in sua Constitutione incipiente: *Ad occurrendum*, &c. edita die 5. Januarii anno 1636. quam referunt ad literam Peirinus 3. part. cap. 12. const. 7. alias 17. Urbani VIII. Novarius in *lucerna regul. in fine*, & alii. Praecipit in favorem Religionum, ut Regularis infra quinquennium agens de nullitate suae professionis, ex qualibet causa (quia loquitur generaliter) teneatur exprimere causas coram sacra Congregatione Tridentini privative. Unde, nisi de speciali concessione Pontificis, nullus alius potest cognoscere, ut ex verbis ipsius patet, & sic sine controversia practitari debet, nisi alias extra Italiam contraria consuetudo vigeat, ut in Hispania viget.

29. In sess. 25. de reformat. cap. 11. vetantur locationes bonorum Ecclesiae anticipatis solutionibus in damnum Successorum, & licet non faciat men-

tionem de Regularibus, loquitur absolute, & indistincte, & apponitur hic revocatio privilegiorum, si forte dantur.

369. 30. *Ibidem* Cap. 13. statuitur de quarta funerali solvenda Cathedralibus, & Parochialibus Ecclesiis, quæ solita erat persolvi ante annos quadraginta. Sed de hoc suo loco disputant Authores.

370 31. Hæc sunt præcipua, quæ in relata *sess. 25.* præcipiuntur observari à Regularibus cum revocatione expressa quorumcunque privilegiorum. Alia quæ his possent addi, remitto ad propria loca, & ad disputationem de exemptione à jurisdictione Episcoporum, quæ possunt videri in Authoribus Rodriguez Tom. 1. *quest. 8.* Joann. de la Cruz, Bordonio, Donato, & aliis.

371. 32. Duo tamen hic notare oportet. *Primum*, quod in *sess. 25. cap. 22. in fine* præcipit Concilium omnia, & singula in superioribus decretis contenta observari in omnibus Cænobiiis, Monasteriis, Collegiis, & per illa verba: *In superioribus decretis contenta*, solum loquitur de decretis illius Sessionis, non verò de aliis aliarum Sessionum; alias, ut bene notat noster Lezana *infra*, non dixisset Concilium, in superioribus decretis, sed in superioribus Sessionibus, & sic ibi solum revocantur privilegia contraria decretis hujus Sessionis; ita Rodriguez Tom. 1. *quest. 8. art. 6.* Joann. de la Cruz lib. 2. *cap. 3. conclus. 1.* noster Lezana Tom. 2. *cap. 1. num. 58.* Basseus verb. *Privilegium, num. 7.* Suar. *de leg. lib. 8. cap. 18. num. 17.* Navarr. *in manual. cap. 27. num. 109.* Ar-

changelus Romanus verb. *Privilegium, in principio.* Portel. verb. *Privilegium, num. 31.* Antonius de Hinojosa Dominicanus in *direct. decis. regul. verb.* Confirmatio gratia, *S. Sed simul respondetur*, & alii multi, quidquid in contrarium sentiant Bordonius, & alii. Si enim omnia privilegia, quæ contrariantur quibusvis decretis totius Concilii, essent revocata, ad quid Concilium in aliquibus locis addit clausulas derogatorias, & in aliis non; Certe non ad aliud significandum, nisi quod cætera, quæ ibi expressè non revocantur, permaneant firma. Adducunt exemplum *ex sess. 23. cap. 8.* ubi prohibentur etiam Regulares ordinari extra tempora, quia tamen ibi Concilium non revocat privilegia Regularium, quæ ipsi habent in contrarium, remanent in sua vi, imo & roborata.

372. 33. *Secundo* est notandum, quod alia privilegia, quæ ante Tridentinum habebant Religiosi, tam ex Mari magno, quam ex aliis Concessionibus, & expressè non revocantur ab ipso Tridentino, quod non solum habent valorem antiquum, sed etiam habent firmitatem novæ confirmationis à Tridentino. Nam in *sess. 25. quæ est ultima Concilii, cap. 20. de Regularibus*, postquam de Regularibus egit, addit: *In cæteris omnibus prælatorum Ordinum (videlicet exemptorum) privilegia, & facultates, quæ ipsorum personas, loca, & jura concernunt, firma sint & illæsa.* Unde talia privilegia hodie dicuntur inserta in corpore juris novi: Tridentinum enim novum jus appellatur. Ita P. Donatus

Trab.

Tract. 11. quest. 14. num. 6. P. Brunus
 Cassaing. Tract. 1. cap. 2. proposit. 2. nu.
 4. ubi ut indubitatum hoc supponit,
 Portel, verb. Privilegiorum communi-
 catio, num. 27. & alii. Quæ doctrina
 valdè notanda est, ad cognoscendum
 qualis debeat esse revocatio, ut ista pri-
 vilegia comprehendat; requirit enim
 ipsam, quæ requiritur, ut alicui decreto
 Concilii derogetur. Vide infra disp. 7.
 sect. 2. à num. 16. usque ad finem sectio-
 nis.

373. 34. Sed objicies, quòd sacrum Con-
 cilium Tridentinum confirmatum fuit
 à Pio IV. per Bullam incipientem: *Bene-
 dictus Deus*. 7. Kalendas Februarii anno
 1563. & habetur in fine Concilii, &
 postea ipse Pontifex revocavit quæcun-
 que privilegia, etiam Maris magni, &
 sub quibusvis derogatoriis derogato-
 riis, quæ quomodolibet contrarian-
 tur cuilibet decreto, sive dispositioni,
 ex omnibus, quæ in toto Concilio con-
 tinentur. Expedita fuit hæc Bulla déro-
 gatoria tertio decimo Kalendas Martii
 anni 1565. & incipit: *In Principis Apo-
 stolorum Sede*, & habetur etiam in fine
 Tridentini: Ergo ex tunc omnia, &
 quæcunque privilegia, quæ in aliquo
 contrariantur Tridentino, manent re-
 vocata, ac proinde doctrina tradita nu-
 mero antecedenti, nullius est momenti.

374. 25. Respondetur, quòd dicta Bulla
 non plus extenditur, quàm ad id, ad
 quod extenduntur revocationes Con-
 cilii: Tum quia finis prædictæ Bullæ so-
 lum est observantia decretorum Con-
 cilii juxta illorum qualitatem: Tum,
 quia Constitutio, quæ fit ad roboran-
 dam aliam, debet intelligi secundum
 eam, & concludendam in terminis

ipsius, ita Rodriguez Tom. 1. quest. 23.
 art. 5. noster Thomas à Iesu de procu-
 rand. omn. salut. lib. 12. cap. 8. tit. sequi-
 tur collectio. vers. Illud tamen. Joan.
 de la Cruz lib. 2. cap. 3. dub. 6. noster
 Lezana Tom. 2. cap. 1. nu. 58. Suar. lib.
 8. cap. 18. circa finem. P. Hinojola in di-
 rect. verb. Confirmatio gratia.

SECTIO II.

De universali revocatione Indulgentia-
 rum facta pro omnibus Regula-
 ribus à Paulo V.

1. JURE poscit hunc locum discuf- 374
 sio universalis revocatio Indul-
 gentiarum omnium Regularium à Ro-
 mano Pontifice Paulo V. facta, & pu-
 blicata Romæ die 22. Maii ann. 1606.
 & quia includit pro præxi aliquas non
 leves difficultates scitu dignissimas in
 gratiam ipsorum Regularium, placuit
 in calce hujus disputationis, quæ circa
 revocationes versatur, eas breviter ex-
 planare, quod exactius fiet ipsam revo-
 catoriam priùs hîc ad literam inferen-
 do, quæ sic se habet.

2. PAULUS V. ad perpetuam rei me- 376
 moriam.

Romanus Pontifex in beati Petri Sede
 constitutus, cui inter alia cælestis indul-
 gentiarum thesauri dispensandi cura in-
 cumbit, sollicitè prospicere debet ac soler-
 ter, ut hujusmodi indulgentiarum dispen-
 satio & usus ad Dei gloriam, & anima-
 rum salutem præcipuè dirigatur. Et ne
 ex illarum multiplicitate confusio, aut
 inanis interpretatio exoriat,ur,

Proinde cum sel. rec. CLEMENS Papa
 VIII. prædecessor noster magna cum dili-
 gentia

gentia, & sollicitudine procuraverit abusus, & corruptelas, tum in communicando Indulgentiarum thesauros, tum in modo illos recipiendi irreptos tollere, & propterea suâ quâdam constitutione formam aggregandi, instituendi, & rectè administrandi societates, & Confraternitates præscripserit, licèt morte præventus hanc piam ejus voluntatem ad finalem executionem deducere; neque etiam ut cogitaverat, circa indulgentias à plerisque Romanis Pontificibus prædecessoribus, Religionibus & Ordinibus Monasticis, & Mendicantibus diversis temporibus concessas aliquid deliberare poterit.

Nos qui nullis nostris meritis, sed solâ Dei benignitate ad summi Apostolatus officium vocati sumus, susceptum à tanto Pontifice pium hoc opus ad optimum finem perducere cupientes, ubi primum Catholica Ecclesia regimen suscepimus, venerabilibus fratribus nostris sancta Romana Ecclesia Cardinalibus ad hoc opus, à dicto CLEMENTE prædecessore deputatis, de quorum numero tempore ipsius CLEMENTIS prædecessoris eramus, injunximus, ut in illo tempore ad ulteriora progredierentur, & indulgentias Regularibus concessas recognoscerent, & si que recognitis rem nobiscum sommunicaret.

Cùm itaque præfati Cardinales privilegia, concessiones & gratias prædictis Religionibus & Ordinibus concessas diligenter inspexerint, & examinaverint, ac eorundem Ordinum Superiores & Officiales pluries audierint, ac circa easdem indulgentias varia dubia, & incertitudines, & confusiones adesse compererint, & ex judicio eorundem, etiam Regula-

rium, vel aliquorum ex illis, nobis proposuerint, valdè expedire pro eorum majori securitate & beneficio, ut indulgentias ipsis religionibus, & Ordinibus adinstar, vel per communicationem, aut alio modo hæcenus concessas, annullaremus, & revocaremus, ac alias particulares illis concederemus.

Nos maturâ super hoc consultatione præhibita cupientes personis regularibus quibuscunque, quorumvis Ordinum, tam Monasticorum, quàm Mendicantium spirituale solatium & juvamen afferre, infra scriptas indulgentias & gratias, quas personis regularibus intra claustra, aut extra, cum licentia tamen suorum Superiorum legitima de causa illis concessa degentibus tantummodo suffragari debere, declaramus, concedendas duximus.

3. Omnibus igitur Christi Fidelibus, qui Canonice, & juxta Ordines cujuslibet Religionis, & Constitutiones Apostolicas habitum regularem à legitimis Superioribus, causâ proferendi in illo susceperint, die primo eorum ingressus in ipsam Religionem, si verè pœnitentes & confessi, sanctissimum Eucharistia Sacramentum sumpserint, plenariam.

4. Ac cuilibet Novitio, qui pœnitens & confessus, ac sacrâ Communione refectus post completum probationis annum professionem emiseric, etiam plenariam.

5. Nec non cuilibet Religioso intra claustra sui Monasterij viventi, qui in festo principali sui Ordinis confessus, & sacrâ Communione refectus fuerit, aut Missam recitans pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, Romani Pontificis salute, ac sancta Matris Ecclesia ex-

S alta-

374

76.

- exaltatione pias ad Deum preces effuderit, etiam plenariam.
380. 6. In cuiuslibet verò mortis articulo, si pariter verè poenitens & confessus, ac sacrâ Communionem refectus, vel quatenus id facere nequiverit, saltem contritus nomen Jesu ore, si potuerit, sin aurem, corde devotè invocaverit, etiam plenariam.
381. 7. Qui verò ad Presbyteratus Ordinem Canonice promotus, & confessus, primam Missam celebrabit, nec non etiam ipsi Religiosis, qui pariter confessi, ac sacrâ Communionem refecti, eidem Missae interfuerint, aut ipso die Missam similiter celebrabunt, etiam plenariam.
382. 8. Iis verò, qui de suorum Superiorum licentia à negotiis per decem dies alieni in cella commorabuntur, aut ab aliorum conversatione separati, in piorum librorum, & aliarum rerum spiritualium, animos ad devotionem, & spiritum inducentium lectionibus operam suam dederint, addendo sapè considerationes, & meditationes mysteriorum fidei Catholicae, divinorum beneficiorum, quatuor novissimorum, passionis Domini nostri Jesu Christi, & aliorum exercitiorum, orationum jaculatoriarum, aut vocalium, saltem per duas horas in diem & noctem orationibus mentalibus sese exercendo, faciendo eodem tempore confessionem generalem, aut annualem, vel ordinariam, sanctissimum Eucharistica Sacramentum sumpserint, aut Missam celebraverint, quoties pro quolibet prædictorum exercitiorum plenariam similiter omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem miserat dicit in Domino concedimus.
9. Præterea eisdem Religiosis intra claustra viventes, qui suam Ecclesiam devotè visitaverint, & ut præfertur, oraverint, consequantur easdem Indulgentias, quas visitantes Ecclesias Urbis, & extra eam diebus stationum consequuntur, in omnibus diebus perinde, ac si ipsas Urbis Ecclesias personaliter visitarent.
10. Omnibus item Religiosis intra claustra, ut supra viventibus, qui quinquies Orationem Dominicam, & toties Salutationem Angelicam ante altare eorum Ecclesia in quolibet die, quinque annos, & totidem quadragenas.
11. Iis vero, qui de suorum Superiorum licentia in itinere existentes, aut extra claustra degentes, tanquam Prædicatores, & Lectores quinquies eandem orationem Dominicam, & toties Salutationem Angelicam ante quodlibet altare similiter dixerint, etiam quinque annos, & totidem quadragenas.
12. Nec non etiam Religiosis, qui per mensem integrum singulis diebus spatio media hora orationem mentalem fecerint, ac confessi, & sacrâ Communionem, ultimâ Dominicâ mensis huiusmodi, refecti fuerint, sexaginta annos, & totidem quadragenas.
13. Qui verò contrito corde, & poenitentes, eorum culpas, & peccata, ac imperfectiones in Capitulo culparum accusabunt, & spiritualiter commanicabunt, & exercitium virtutum facient, tres annos, & totidem quadragenas.
14. Quotiescunque autem de licentia Summi Pontificis, aut suorum Superiorum in ditiones, & terras infidelium, aut hæreticorum ad concionandam, aut Catholicos docendum, vel infide-

fideles, & hæreticos ipsos ad fidem Carholicam convertendum, & Ecclesia gremio reducendum nisi fuerint, si pœnitentes & confessi, ac sanctissimâ Communione refecti fuerint, vel Missam celebraverint, ut melius ad hujusmodi opus sese praparare valeant, pro duabus vicibus, videlicet, quando itineri se accingent, & quando in Provinciam, ubi prædicta opera eis exercenda erunt, ingressi fuerint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino pariter concedimus, & largimur.

389.

15. Et insuper cum Superior in visitationibus generalibus Orationes quadraginta horarum pro bono visitationis progressu collocare voluerit, ijs Religiosis, qui dictis Orationibus saltem spatio duarum horarum in diverso tempore interfuerint, & ibi pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, Romani Pontificis salute, ac sanctæ Matris Ecclesie exaltatione, necnon disciplina, & observantia regularis augmento, pias ad Deum preces, ut supra dictum est, effuderint, aut Missam celebraverint, plenariam similiter omnium peccatorum Indulgentiam, & remissionem, ut præfertur, concedimus.

Volumus autem, ut omnes supra dictæ Indulgentiæ, & gratiæ Religiosis Regularibus cujuscvis Ordinis tam Monastici, quàm Mendicantiis duntaxat, ut præfertur, concessæ, etiam omnibus Monialibus cujuscvis Regula approbatæ, & intra claustra cum tribus votis solemnibus viventibus, & perpetuam clausuram servantibus, tam Ordinarijs locorum, quàm Regularibus cujuscunque Ordinis.

Regula, & instituti subjectis suffragentur. Præsentibus perpetuis futuris temporibus duraturis.

Ceterum omnes, & singulas Indulgentias, quibuscunque Ordinibus, & institutis Regularibus hujusmodi etiam Mendicantibus, & quibuslibet personis Regularibus, tam vigore privilegiorum, & litterarum Apostolicarum, quàm viva voci oraculo, aut alias quovis modo, per quoscunque Romanos Pontifices Prædecessores nostros, ac Nos, & Apostolicam Sedem hætenus concessas, confirmatas, approbatas, & innovatas, auctoritate, & tenore prædictis perpetuo revocamus, cassamus, annullamus, & abrogamus, & ad præsentium nostrarum litterarum præscriptum reducimus, & moderamur.

Non obstantibus quibuscunque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac eorundem Ordinum, & institutorum Regularium, etiam juramento, confirmatione Apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis, & consuetudinibus, privilegijs quoque indultis, & litteris Apostolicis, etiam MARE MAGNUM, & Bulla aurea nuncupata, eisdem Ordinibus & institutis, eorumque Monasterijs, Conventibus, Collegijs, Domibus, Superioribus, & personis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & approbatis. Quibus omnibus & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque tenoribus specialis, specifica, expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quavis alia expressio habenda foret, tenores hujusmodi præsentibus

pro expresso, & ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansurum, hanc vice duntaxat specialiter & expressè derogamus, ceterisque contrariis quibuscunque.

Volumus autem, ut presentium transcriptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus personae in dignitate Ecclesiastica constituta munitis eadem fides habeatur ubique, qua presentibus ipsis originalibus litteris haberetur. Datum Roma apud sanctum Petrum sub annulo Piscatoris, die 23. Martii 1606. Pontificatus nostri anno 2.

390. 16. Circa hanc amplissimam revocationem, quae quascunque Indulgentias, sive per scriptum, sive per viva voce oraculum pro ipsis Religiosis concessas comprehendit, ut ex ipso textu relatio apparet, nonnulla ut certa, vel ferè certa supponenda sunt, alia verò aliquam difficultatem ingerentia examinanda veniunt.

391. 17. Supponendum est primò, praedictam revocatoriam solum comprehendere indulgentias concessas pro ipsis Religiosis, & in utilitatem ipsorum, sive per opera ab ipsis faciendam, sive per orationes in Ecclesiis propriis fundendas, ut apparet ex clausula, ibi: *Pro eorum majori securitate, & beneficio, ut Indulgentias ipsis Religionibus & Ordinibus, ad instar vel per communicationem, aut alio modo hactenus concessas annullaremus.* Nos marur à super hoc consultatione praehabita, &c. & postea concludit inferendo revocationem cum firmissimis clausulis.

392. 18. Ex quo deducitur, Indulgentias concessas pro omnibus Fide-

bus visitantibus Ecclesias Regularium, non fuisse revocatas à Paulo V. in dicta revocatoria, cum nullam de iis mentionem faciat. Et potest reddi ratio, quia dictae Indulgentiae quamvis sint concessae intuitu Regularium, sed non pro ipsis, sed pro omnibus Fidelibus, minimè loquitur de eis Pontifex; sic sentiunt Novarius in Lucerna Regularium, verb. Indulgentias, num. 2. Rodrig. & Portel. quos sequitur, & refert noster Lezana Tom. 3. summa, verb. Indulgentia, num. 13. cum Diana part. 4. tract. 4. resolut. 22. & sic declaratum fuisse à sacra Congregatione Regularium, testatur Peirino Tom. 1. de subd. quest. 4. §. ultimo.

393. 19. Supponendum est secundò, Indulgentias pro animabus purgatorii, sive sint Religiosorum, sive secularium, non esse revocatas per dictam revocationem; sed posse Religiosos eas lucrari tam pro suis Religiosis defunctis, quam pro aliis quibuscunque Fidelibus, per quaecunque opera, sive facta in propriis Ecclesiis, sive extra, quia in dicta revocatoria solum includuntur Indulgentiae, quae pro utilitate ipsorum Regularium viventium concessae erant, non verò aliae, licet concessae sint intuitu ipsorum Regularium, & applicandae animabus purgatorii mediis operibus ipsorum Regularium, & sine dubio hoc praesumendum est de benignitate tanti Pontificis, ut in simili respondit interrogatus Urbanus VIII. à R. P. nostro Generali Paulo Simone Genuense, Congregationis Italiae, Romae tunc commorante. An in sua Revocatoria Oraculorum comprehenderentur Indulgentiae concessae viva voce oraculo pro animabus purgatorii? respondit, sua

mentis nunquam fuisse illas comprehendere, sed manere in sua vi; quod responsum authenticum vidi, & legi cum attestazione, & subscriptione præfati Generalis, dum Romæ essem, conservaturque in archivio nostri Conventus S. Mariæ de Scala.

Cur ergo idem non præsumendum erit in casu præfenti, in quo etiam militat eadem ratio adducta numero antecedente: nam indulgentiæ concessæ Regularibus, determinatè pro animabus Purgatorij, non conceduntur ipsis Religiosis viventibus, sed animabus Purgatorij, licet applicentur medijs operibus executis à Regularibus. Tum denique, quia cum simus in re odiosa, qualis est revocatio, strictè non latè interpretanda est, ut repetitum manet. Maximè in eventu tantæ pietatis, qualis est succurrere animabus detentis in Purgatorio. Sic docent Peirin. Tom. 2. Privilegiorum circa constitutionem Pauli V. num. 5. Peregrin. 1. p. sui compendii, verb. Indulgentia, n. 9. ubi affirmat sic declarasse ipsum Paulum V. & idem testatur idem Peirin. n. 7. & circa const. 4. Clement. VIII. n. 2. Hanc partem absolute, & absque ulla hæsitacione sequutus est noster Lezan, Tom. 1. summa, cap. 3. num. 29. cum authoribus relatis; sed nescio, quâ efficaci ratione vel melius quo scrupulo postea, Tom. 3. verb. Indulgentia, num. 21. quamvis probabilem iudicet, sequitur tamen contrariam, ut probabiliorem, de quo dicemus infra in hac eadem sect. num. 20.

394

20. Dubitabis igitur primò, an præfata revocatio comprehendat indulgentias concessas Regularibus pro articulo mortis, sive per scriptum, sive

oretenus? Negativè respondetur, quia quæ speciali notâ digna sunt (qualis est præfens) non censentur sublata, nisi exprimentur, maximè in re tantæ pietatis, & misericordiæ, nec aliud de benignitate Pontificum potest suspicari, cum videamus pro illo articulo magnâ liberalitate omnes procedere circa oves à Christo Domino sibi commissas, quibus superioribus præsidijis eis auxiliari satagunt; sic tenent Alfonso de Leon. 1. p. de Jubilao, num. 243. ex quadam declaratione Urbani VIII. facta Illustrissimo Coecino vice gerenti Penitentiarie anno 1625. dixit enim Pontifex, quod anno Jubilæi non suspendantur Indulgentiæ pro articulo mortis; idem sequuntur Peirius sup. s. 19. num. 10. Novar. in Lucerna regul. verb. Indulgentia, n. 2. nostri Doctissimi Strarius meritissimus Generalis totius observantiæ Carmelitanae, & Lezana, Tom. 3. verb. Indulgentia, num. 10.

395

21. Dubitabis secundo, an Regulares ex dicta revocatoria impediatur ne gaudeant Indulgentiis in propriis Ecclesiis, quibus gaudent generaliter fideles; Respondetur gaudere absque omni dubio, quin Pontifex solùm revocat Indulgentias Regularium, pro ipsis tantùm concessas, non verò quæ conceduntur universaliter pro omnibus Fidelibus, de quorum numero ipsi Regulares sunt; quis enim dicat, quod si in Ecclesia propria Regularium sit tali die concessum Jubilæum, seu indulgentia plenaria universaliter pro omnibus Fidelibus talem Ecclesiam visitantibus, maneat privati hæc gratiâ Pontificiâ Regulares, ex eo quod Ecclesia ubi concessa est indulgentia, sit ipsorum

S 3

Regu-

Regularium? Certè cum fundamento nullus hoc potest dicere, quia ex revocatoria id non potest colligi, sed potius oppositum, quia in illa solum revocantur Indulgentiæ concessæ tantum pro ipsis Regularibus, de quorum numero non sunt relatæ; unde firmiter tenendum est, quod sicut gaudent Regulares, post dictam revocationem, Indulgentiis concessis medaliis, Coronis, & aliis rebus similibus, sic eodem modo gaudent omnibus indulgentiis concessis pro omnibus Fidelibus, sive in alienis Ecclesiis, sive in propriis.

396.

22. Dubitabis *tertio*, quid intelligatur nomine Ecclesiæ, quando, ut quis lucratur Indulgentias, Ecclesiam assignatam debet visitare? Respondetur, intelligi etiam Cæmeterium ipsius Ecclesiæ, est enim hæc res valde favorabilis, ac per consequens latè intelligenda, cum Cæmeterium reputetur pars Ecclesiæ; sic tenent Suarez Tom. 4. in 3. part. disp. 52. sect. 1. n. 7. Layman. lib. 5. cap. 6. num. 4. noster Lezana num. 8. sed nota quod ad lucrandam Indulgentias non est necesse, quod quis actualiter, & expressè id intendat, aut sciat in eo loco talem Indulgentiam esse concessam, sed sufficit quod habitualiter, implicite, seu interpretativè id intendat, suppositâ voluntate generali lucrandi Indulgentias, quos potest, dummodo sit in statu gratiæ, & exerceat opus à concedente Indulgentiam petiti, sic sentiunt Suarez, Layman, noster Lezana, num. 8. & alij relati supra, quæ licet vera existimem, ad majorem tamen securitatem consulerem omnibus, ut saltem primo mane intentionem actua-

lem habeant lucrandi quaslibet Indulgentias, applicando opera, & Orationes pro necessitatibus petitis à Pontificibus pro qualibet Indulgentia, qua potest gaudere.

397.

23. Dubitabis *quarto*, an infirmi, & decrepiti, qui non possunt Ecclesiam, adire possint ex lectulo, consequi Indulgentias concessas à Paulo V. in sua Bulla, pro Regularibus, & idempotest dubitari de aliis similibus gratiis concessis pro omnibus Fidelibus ab aliis Romanis Pontificibus? Ratio dubitandi præcipua sumitur ex verbis ipsius Bullæ, quia in ea Pontifex concedit, ut possint præfatas Indulgentias lucrari, qui extra claustra degunt, cum licentia suorum Superiorum, legitima de causa, concessa visitando Ecclesias locorum ubi inveniuntur, ibi: *Nos maturâ super hoc consultatione præhabita, cupientes personis Regularibus, quibuscunque quorumvis Ordinum, tam Monasticorum quàm Mendicantium, spirituale solatium, & juvamen asserre, infra scriptas Indulgentias, & gratias, quas personis Regularibus intra claustra, aut extra, cum licentia tamen suorum superiorum, legitima de causa illis concessa degentibus, tantummodo suffragari debere, declaramus, & concedendas duximus.* Et statim designat qualitatem, & numerum harum Indulgentiarum, & cum nullam faciat mentionem Religiosorum ægrotantium in lectulis seu omnino impeditis, propter infirmitatem, meritò dubitatur, an isti lucentur ex lectulis dictas, & alias indulgentias, quibus gaudent sani?

24. Respondendum est, eodem modo gaudere prædictis Indulgentiis, & aliis

398.

& aliis quibuscunque, quibus gaudent, qui nullo impedimento infirmitatis laborant, dummodo aliquod opus pium arbitrio Confessoris exercent; quia sic præsumendum est de benignitate tam hujus, quam aliorum Romanorum Pontificum, qui solatium, & subsidium præcipuè spirituale, suis ovis ægotantibus semper curant præstare, sic tenent Peregrinus 1. p. sui Comp. titulo Indulgent. num. 7. noster Lezana num. 9. & alij; nec oppositum diceatem vidi aliquem.

399. 25. Sed hic nota duo. *Primum*, quod illa Indulgentia concessa in eadem Bulla nominatim pro itinerantibus, & extra claustra degentibus de licentia suorum Superiorum, ut prædicatoribus, & lectoribus, minimè opponitur, nec limitat supra dictas Indulgentias, sed est nova gratia addita supradictis, ob majorem necessitudinem Regularium extra suos Conventus, etiam licitè, & cum debita facultate degentium; unde, & hanc lucrantur, & alias non amittunt; & nescio quo fundamento addat hic Peregrinus *ubi supra*, quod Religiosi extra proprias domos existentes gaudent dictis Indulgentiis, dummodo extra claustra sint ad breve tempus. Si enim legitimè, & cum debita licentia extra claustra degunt, ut itinerantes, vel hospites, quid officit, quod sint per longum tempus in eisdem, vel similibus ministerijs, extra claustra, & proprias domos, cum absolute, & absque limitatione temporis Pontifex loquatur.

400. 26. *Secundò* nota, quod æqualiter in omnibus Indulgentiis relatis, proportionè servatâ, gaudent Moniales

cujuscunque Ordinis, sive subdantur Regularibus, sive Episcopis, aut cuilibet legitimo Superiori, constat expressè ex ipsa Bulla Pauli V. ibi: *Volumus autem, ut omnes supradictæ Indulgentiæ, & gratiæ Religiosis Regularibus cujuscunque Ordinis, etiam omnibus Monialibus cujuscunque Regula approbata suffragentur.*

27. *Ultima*, & major difficultas se offert circa peculiarem illam Indulgentiam concessam hic à Paulo V. pro Regularibus Visitantibus proprias Ecclesias. Duplex difficultas orta est ex verbis dictæ Indulgentiæ, quæ est tenoris sequentis: *Præterea iidem Religiosi intra claustra viventes, qui suam Ecclesiam devotè visitaverint, & ut præfertur oraverint, consequantur easdem Indulgentias, quas visitantes Ecclesias urbis, & extra eam diebus stationum consequuntur, in omnibus diebus perinde ac si ipsas urbis Ecclesias personaliter visitarent.*

28. Primam difficultatem excitavit P. Peirinus Tom 2. *privileg. in Constit.* 8. Pauli V. §. 11. num. 3, cui adherere videtur noster Lezana num. 9. & 21. quatenus refert hunc modum dicendi, & neque rejicit, neque impugnat. Dubitat igitur præfatus Author, an dictam Indulgentiam consequantur Regulares qualibet die totius anni? an verò solum diebus stationum? & resolvit, quod solum intelligatur lucrari diebus stationum, sed nullum adducit firmum fundamentum; & meo videri, nec potest adduci, cum manifestè contrarium convincatur ex verbis ipsius Indulgentiæ.

Ad quod probandum utor hac efficacissimâ ratione. Summus Pontifex hic

hic loquitur, ut per se patet, de stationibus septem Ecclesiarum tam intra, quam extra urbem existentium, sed huiusmodi stationes quolibet die totius anni possunt fieri lucrando indulgentias, ut manifestâ experienciâ constat, cum vix sit dies, in quo aliquis vel aliqui huiusmodi stationes non adeant, nec defuerunt viri devotissimi, qui omnibus diebus illas fecerunt, ut scribitur de S. Philippo Nerio. Neque à Romanis Pontificibus excluditur aliquis dies totius anni; neque determinatur in quo fieri non possint, lucrando Indulgentias pro ipsis stationibus concessas; ergo non est fundamentum ad excludendum diem aliquem totius anni.

403.

29. Confirmatur rursus ex verbis ipsius concessionis, ibi: *In omnibus diebus perinde, ac si ipsas Ecclesias urbium, visitarent.* Hic interrogo, vel illi dies referuntur ad facientes stationes personaliter in Romana Curia, vel ad Regulares visitando proprias Ecclesias? Si primum dicatur habemus intentum, videlicet, quod in omnibus diebus lucrantur illas Indulgentias Religiosi, Visitando proprias Ecclesias; Ergo ex qualibet parte constans manet nostra conclusio, siquidem nullus dies totius anni invenitur, determinatus pro lucrando illis Indulgentiis, neque aliquis invenitur exclusus, ut ex praxi Romana constat; igitur, vel pro nullo die, vel pro singulis diebus conceduntur Indulgentiæ stationum septem Ecclesiarum, ac per consequens in singulis diebus totius anni Religiosi visitantes proprias Ecclesias lucrantur illas indulgentias.

Verum huic Auctoris opinioni videtur

esse contrarium, sacra Congregationis indulgentiæ ac sacris Reliquiis preposita Decretum, s. Marij An. 1678. promulgatum; in cuius calce hæc leguntur verba: Indulgentias stationum Urbis, quæ à Romanis Pontificibus, singulari quodam beneficio vel communicata sunt, vel communicabuntur interdum aliquibus locis, Ordinibus aut personis, diebus tantum stationum, in Missali Romano descriptis, suffragari posse declarat.

30. Secunda difficultas est majoris ponderis, videlicet, an Regulares visitantes proprias Ecclesias singulis diebus, consequantur omnes Indulgentias, quæ consequuntur visitantes Ecclesias intra, & extra urbem personaliter, tam plenarias, quàm non plenarias, tam pro se, quam pro defunctis; inveniuntur enim aliqua specialiter concessa pro liberandis animabus Purgatoriis in qua re nimis scrupulosè se gessit noster Lezan. Tom. 3. verb. Indulgentia, num. 21. Primò negat, quod licet verum sit, quod Religiosi visitando proprias Ecclesias lucrantur Indulgentias proprias stationum, sed inter illas nulla est plenaria, si quidem S. Gregorius Papa, qui primò has stationes instituit, solum concessit pro eis septem annos Indulgentiæ, ut testatur D. Thom. in 4. distinct. 20. & alij communiter, nec invenitur aliquis Pontifex, qui pro ipsis stationibus Indulgentiam plenariam concesserit; verum est, quod fere in qualibet harum Ecclesiarum inveniuntur aliqua Indulgentiæ plenariæ pro illas visitantibus, & in eis orantibus concessæ à diversis Pontificibus non intuitu stationum omnium illarum Ecclesiarum, sed intuitu magnæ Sanctitatis cujuslibet

404

bet localis Ecclesie, & forte moti sunt etiam, ut Fideles ferventius moverentur ad omnes visitandas. Negat ergo Lezana lucrari aliquam ex his Indulgentiis plenariis Religiosos visitantes proprias Ecclesias, sed solum non plenarias concessas pro illis stationibus. Ducitur ad hoc asserendum ex praxi Curie, & Regula Cancellarie, in quibus Indulgentie plenarie, eo quod sint difficilis concessio, non intelliguntur concessas, nisi exprimentur, ut tenent Suarez, Molfesius, & Cassarubius, relati ab ipso Lezana *ibidem*. Cum igitur in presentia concessio *Pauli V.* Indulgentie plenarie non exprimentur, non debent intelligi concessas in relata Indulgentia pro Regularibus visitantibus proprias Ecclesias.

405. 31. Sed pace tantiviri, qui unicus in hac parte videtur, cum neque ipse alium Authorem pro suo dicto referat, neque ego invenire potui, & si accurate quaesierim, Dico, quod Regulares visitando quotidie suas proprias Ecclesias lucrantur omnes Indulgentias, quas lucrantur visitantes personaliter Ecclesias stationum, in alma urbe, & extra, tam plenarias, quam non plenarias, tam concessas intuitu ipsarum stationum, quam concessas ratione Sanctitatis cujuslibet loci, ubi plura corpora insignium Sanctorum, & alia sacra reliquia magna cum reverentia, & devotione ab omnibus fidelibus coluntur.

406. 32. Probatum multipliciter ex verbis concessio *Pauli V.* primò, ibi: *Consequantur easdem Indulgentias, quas visitantes Ecclesias urbis, & extra eam, diebus stationum consequuntur, per-*

*inde ac si illas personaliter visitarent, verba hæc sunt indefinita, & maxime universalia, ergo universaliter, & late sunt intelligenda præcipue, cum sumus in materia favorabili pertinente ad bonum, & salutem animarum, neque alicui præjudicium inferat. Neque de hoc mens Pontificis inexplicata mansit, sed potius æquivalenter expressa, quod probo satis efficaciter. Illi qui Romæ personaliter visitant Ecclesias stationum, consequuntur tam Indulgentias ipsarum stationum, quam alias omnes plenarias, quæ in qualibet illarum Ecclesiarum concessas sunt à diversis Pontificibus ratione illarum particularium Ecclesiarum, de quo nullus dubitat, nec dubitare potest: Ergo, & has omnes lucrantur Regulares visitando suas Ecclesias, quia faciunt id quod expressè æquivaleret visitationi personali in Roma de mente expressa Pontificis: Ergo expressè saltem per verba æquivalentia eis concedit quascunque Indulgentias, quas lucrantur visitantes personaliter Ecclesias stationum, totum hoc apparet ex illis verbis expressis: *Consequantur easdem Indulgentias, perinde ac si ipsas Ecclesias urbis personaliter visitarent.* Ergo ex mente expressa Pontificis eodem modo lucrantur easdem Indulgentias, quas lucrarentur, si personaliter visitarent, sed visitando illas personaliter lucrarentur omnes Indulgentias plenarias, & non plenarias in omniū sententia: Ergo prorsus eodem modo gaudent eisdem omnibus, visitantes proprias Ecclesias, in suis Conventibus, & hoc ex mente expressa Pontificis.*

33. Ex quo fit fundamentum ad-
T ductum 407.

à Lezana ex praxi Curia, & Regula Cancellaria, nihil nocere nostram sententiam, quia sumus in casu specialissimo, & valde dissimili, & in quo licet concessio expressa per propria verba Indulgentiarum majorum non inveniatur, invenitur tamen concessio expressa equivalens in omnibus, ut vidimus, non ergo in casu nostro currunt praxis Curia, & Regula Cancellaria, sive pro aliis valde dissimilibus eas admittamus, quando aliud non cogit oppositum asferere.

408. 34. Probatum secundò, ex alijs verbis ipsius Bullæ, ubi sic loquitur Pontifex: *Nos maturâ super hoc consultatione præhabita, cupientes personis Regularibus spirituale solatium, & juvamen asferre infra scriptas Indulgètijs, &c.* Inquiro, quod solatium, & quod juvamen asferret Pontifex Religiosis personis intra claustra degentibus, si extinctis quàm plurimis Indulgentijs plenarijs, solum concederet eis paucissimas, & quæ unico actu finiuntur, ut patet in die receptionis habitus, in die professionis solemnis in Religione, in die celebrationis primæ Missæ, & in alijs paucissimis parum dissimilibus, reliquendo Religiosos, & Sanctimoniales ferè per totum annum inter tot obsequia facta Sanctæ Ecclesiæ, & animabus Fidelium, absque aliqua indulgentia plenaria, quam frequenter possint lucrari, quod non debet credi de pietate, & benignitate tanti Pontificis, imò potius oppositum apparet in verbis ipsius.

409. 35. Quapropter judico alienum fuisse à mente Pauli V. talia facere, non enim intendit Indulgentias Religioso-

rum extinguere, sed abusus, & confusiones tollere, & hæc etiam fuit mens sui Antecessoris Clementis VIII. ut ipse Paulus testatur, ibi: *Et ex illarum multiplicitate confusio, aut inanis interpretatio oriatur.* CLEMENS Papa VIII. *predecessor noster magna cum diligentia, & sollicitudine procuravit abusu & corruptelas; tum in communicando Indulgentiarum Thesaurus; tum in modo illos recipiendi irreptos tollere, &c.* Qui morte præventus tam piam ejus voluntatem ad finalem executionem deducere non potuit. Nos quidem, &c. Ecce quomodo voluntas horum Pontificum non fuit tollere, imò nec minuere Indulgentias, sed tollere dubia, confusiones, & incertitudinem vitare, reducendo illas ad claritatem, & certum statum, pro majori spirituali solatio, & juvamine ipsorum Religiosorum, & præhabita maturâ consultatione Eminentissimorum Cardinalium, Superiorum Religionum, & Procuratorum Generalium, hanc prudentissimam determinationem absolvit juxta intelligentiam relatam, & meo videri literalem. Igitur nimis scrupulosè se gessit noster piissimus, & Doctissimus Lezana in hac parte, sicut in quibusdam alijs, discedens à nostra conclusione, quamvis fateatur esse probabilem; sed nos cum Peirino Tom. 2. privileg. in Constitut. 8. Pauli V. §. 11. num. 4. & alijs, ut certam amplectimur.

410. 36. Consequenterque ad dicta, & relata dicendum venit, quod Religiosi visitantes proprias Ecclesias non solum lucrantur Indulgentias plenarias, quæ inveniuntur in stationibus ipsis competentibus, sed etiam plenarias, quæ

quæ inveniuntur concessæ etiam pro animabus Purgatorij, quod est contra secundum assertum Lezan. in 3. Tom. verb. Indulg. n. 21. Negans consequenter ad suam Doctrinam lucrati dictas Indulgentias plenarias concessas pro defunctis, in Ecclesiis stationum almæ urbis, & extra, sed nos consequenter ad nostram, ut certum judicamus lucrati, ut probavimus supra, num. 4.

411. 37. Hic notare oportet, ut qualibet confusio è medio tollatur, quod Paulus V. in hac revocatoria Indulgentiarum pro Religiosis, comprehendit expressè etiam concessas per vivæ vocis oracula, ut ex ipsa Const. patet. At in re-

vocatorijs oraculorum Greg. XV. & Urbani VIII. non comprehenduntur oracula circa indulgentias, ut probabimus infra disp. 8. sect. 3. num. 2. Unde si aliqua Indulgentia inveniatur concessæ per vivæ vocis oracula pro Religiosis post hanc revocatoriam Pauli V. non revocantur à Greg. XV. neque ab Urbano VIII. sed permanent in sua vi, & multò minus revocate intelliguntur, quæ in scriptis concessæ fuerint.

Hæc pro relata revocatoria Indulgentiarum, quæ licet alicui prolixa possent videri, mihi tamen cum sint valde utilia, & non extra chorum, visum est ea non omittere.

DISPUTATIO SEPTIMA.

De confirmatione Privilegiorum.

SECTIO I.

An privilegia expressè revocata per Tridentinam habeant hodie aliquam vim, virtute alicujus confirmationis?

412. 1. **C**ontroversia hæc ingenia Doctorum aded torsit, ut in varia placita dispersi inveniantur. Ortum habuit ex Bulla Pij V. incipiente: *Esti Mendicantium Ordines*, expedita 17. Kalend. Junij anno 1567. Pontificatus sui anno 2. quæ habetur in Bullario magno, & apud Rodericum in suo Bullario; in qua, occasione sumpta, ex varijs litibus inter Episcopos, & Regulares, ferè omnia, quæ in Tridentino circa Regulares

disponuntur, declarat, & concedit in eorum favorem, prohibendo, ne Domini Episcopi in eis Regulares molestant. Attamen, quia ex dicta Bulla non quies, quæ expectabatur, & desiderabatur à tanto Pontifice secuta est, sed potius major inquietudo, Greg. XIII. omnia in ea contenta cassavit, & reduxit totum ad terminos ipsius Concilij Tridentini, Bulla incipiente: *In tanta rerum, & negotiorum mole*, expedita Kalendis Martij, anno 1573. sui Pontificatus anno primo. Reperitur in Bullario Romano, & in diversis authoribus.

2. Multi Doctores in defensionem validitatis & subsistentiæ Bullæ Pij V. intrepidè affirmant: Bullam Gregorij

T 2

XIII.